

Punctura pronoti, scutelli et hemelytrorum profunde impressa, densa et rugosa *H. rugoso* RÆVT. similis videtur, ab eo autem capite toto, basi et apice rostri coxisque nigris nec non hemelytris completis haud flavo-pubescentibus mox distinguendus. Ab *H. pusillo* H.-SCH. et affinis corpore superne fortiter punctato, statura angustiore, oculis ultra latera pronoti distincte prominentibus, pronoto antrorsum fortius angustato, femoribus posticis tantum apice ipso luteis tibiisque fere totis nigris divergit.

Pedes anteriores desunt in specimine descripto.

Macrotylus Fuentei n. sp.

Oblongo-ovatus, roseus, superne longitrorsum albido-lineatus et breviter nigro-pilosus; capite levissime nutante, pronoto fere æquilongo, latitudine sua cum oculis paullo brevior, vertice oculo duplo latiore et vitta percurrente flavo-albida notato; articulis duobus basalibus antennarum rufo-ferrugineis, articulo primo subtus articuloque secundo basi ipsa nigris (articuli duo apicales in exemplis descriptis desunt); rostro apicem coxarum posticarum attingente, flavo-testaceo, apice nigro; pronoto basi longitudine sua duplo latiore, roseo-albido, vittis tribus longitudinalibus marginibusque callorum roseis, lateribus acutis et paullo ante angulos posticos leviter sinuatis, callis bene discretis; scutello roseo, vittis duabus lateralibus flavo-vel roseo-albidis notato; hemelytris haud pellucidis, linea percurrente clavi, nec non vitta interna, linea longitudinali media margineque costali corii et margine externo cunei flavo-albidis, membrana apicem abdominis superante, griseo-fuscescente, albido-venosa; marginibus segmentorum pectoris et ventris pedibusque flavo-testaceis, femoribus obsolete rubro-conspersis, tibiis subtilissime nigro-spinulosis, tarsis nigris. ♀. Long. $4\frac{3}{4}$ —5 mill.

Hispania: Ciudad Real. (Mus. Hung.)

Species hæc pulchra a Rev. Dom. J. M. DE LA FUENTE inventa, quam nomine egregii inventoris ornavi, ab omnibus congenericis colore roseo facillime distinguenda. *M. nigricorni* FIEB. et *lutescenti* FIEB. affinis, differt autem corpore haud nigro-picto, articulis duobus basalibus antennarum maximam ad partem rufo-ferrugineis hemelytrisque longitrorsum albido-lineatis.

Byrsoptera syriaca PUT.

Mas: Elongatus, parallelus, obscure fusco-ferrugineus (an immaturus?), glaber; vertice oculo $1\frac{2}{3}$ latiore; articulo primo toto basi que ima articuli secundi antennarum nigris, articulo secundo latitudine basali